

B 76.

137.

Oswald Myconius ¹⁾ an Vadian.*Zürich. 1518. October 30.*

Bitte, für ihn im Leben des hl. Gallus einige Namen nachzuschlagen und ihre
Schreibung ihm zu übermitteln. Entschuldigung der Kürze.

S(alutem). Brevibus accipe, quid velim. Scripsit Falco, consul
Friburgensis, ad me superioribus^{a)} diebus. Et quod audivit, me com-
mentarium parare in libellum Glareani nostri, monuit me ex nescio
quo autore^{b)} loci cuiusdam, quem, si bene intelligo, Glareanus Dog-
giam, ipse Tuconiam appellat. Deinde fluminis meminit, cui nomen
Ludimaco an Limagum dicat, mihi incertum. Scribit, hæc in vita
divi Galli inveniri, quæ quod mihi deest, indagare nequeo. Rogo, in
hac re tantum temporis suffureris tibi, an queas aliquid de iis locis repe-
rire, mihi que perscribas. Cæterum Poetica tua a Ludovico Sprünlio
ex Vienna transmissa est. Vale; id unicum nempe opto ex corde. Abi-
tio tabellarii non sinit me diutius esse apud te. Vale iterum. Tiguri,
tertio Kalendas Novembris, anno MDXVIII. Optant te salvum uxor mea
et filiolus.

Myconius tuus.

Excellentissimo atque doctissimo viro Ioachimo Vadiano, me-
dico, poetæ et oratori clarissimo, amicissimo suo.

superior. diebus
a) „superioribus“. — b) „authore“.

1) Vrgl. I, Brief 105.

1548? Okt. 31. H. Vivomandus III 176 Nr. 41